

Sⁿ Roman y Medina delin. y sculp.



14

3

✠

MAGNIFICO ECCLESIÆ PRINCIPI,
INVICTO RELIGIONIS
PROPUGNACULO,

TURRI FORTISSIMÆ,

IN QUA SUPERBA IMPIETATIS TROPHÆA
ELIDUNTUR.

CLARISSIMO HISPANIARUM
SPLENDORI,

IBERIÆQUE NOSTRÆ GLORIÆ
IMMARCESSIBILI,

COETUI PRÆEXCELSO,

NOBILITATE INSIGNI,
SAPIENTIA MERITISSIMO,
PIETATE SINGULARI.

PROTECTORI MUNIFICENTISSIMO,
ILLUSTRISSIMO, ET AMPLISSIMO

D. D. DECANO,

ET CAPITULO

ALMÆ PATRIARCHALIS HISPALENSIS
ECCLESIÆ, PRO-

PROVINCIA BOETICA
CLERICORUM REGULARIUM MINORUM

COMITIIS PROVINCIALIBUS RECURRENTIBUS,

HAS THEOLOGICAS, ET SACRO-HISTORICAS CONCLUSIONES

AD MENTEM DOCTORIS ANGELICI PROPUGNANDAS,

IN VENERATIONIS TESTIMONIUM,

ET GRATITUDINIS INDELEBILE MONUMENTUM D. O. S.

Cum approb. & cum perm. D.Censor.Reg.*Hisp.* ExTypog. D.Josephi S.Romàn & Codina, in vico de las Armas.

PRI-

PRIMUM ASSERTUM.

Ex Theologia Dogmatica.

OMnia per ipsum facta sunt, et sinè ipso factum est nihil. Joan.cap.1.v.3. Manichæorum impietatem diu tumulatam è sepulcro exhumavit Mathias Flaccus Illyricus Centuriatorum Magdeburgensium facilè Princeps, dum in suis scriptis effutire non dubitavit, animam rationalem per peccatum primi Hominis substantialiter totam esse corruptam, ac transformatam ex imagine Dei in Diaboli imaginem, peccatumquè ipsum originale nihil aliud præter animæ subtantiam teterrima forma deturpatam; nec dissentiunt Lutheranorum, & Calvinistarum plurimi, dum illud in corruptione naturæ, seù concupiscentia, qualis in hominibus post sacri lavacri regenerationem permanet, ex sua natura situm esse contendunt; sed apagè, ut naturæ vulnera, videlicet ignorantiam, difficultatem, propensionem ad malum, aliaque hujusmodi, per se peccatum esse asseramus; ad ipsum, ut Scholæ verba usurpemus, ut materiale quidem pertinet, secùs autèm, ut formale. *Peccatum ergò originale non est ipsa substantia animæ, ut quondam somniavit Illyricus, nec carnis concupiscentia, ut Sectatorum non pauci pertinaciter contendunt.*

SE-

SECUNDUM ASSERTUM.

Ex Theologia Scholastica.

QUoniam Magno Aug. teste lib. 2. de doctr. Christiana cap. 31. *Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt penetranda, & dissolvenda plurimum valet*, jure meritò inter Theologos circa statum hominis absque ulla gratia supernaturali, & absquè ullo peccato constituti, quem statum puræ naturæ vocant, disseritur: hoc enim aptissimo medio, & Conditoris beneficentissimi misericordia, & altissimum gratuitæ elevationis donum ad finem supernaturalem clariùs dignoscitur, & an sit exigentia naturalis in humana natura ad dona integritatis, & immortalitatis, aperitur; quin etiam Quesnelii, Baji, & Jansenii latebrosa systemata circà primam creaturæ rationalis conditionem, & deteguntur, & facile expediuntur. In re non parvi momenti Angelici Præceptoris, cujus doctrinæ luce irradiamur, vestigiis inhærentes, asserere non dubitamus: *Statum Naturæ puræ ab omni dono supernaturali, & naturali integritatis, & immortalitatis possibilem esse de potentia ordinaria, seù conformi exigentiæ naturæ.*

***

TER-

TERTIUM ASSERTUM.

Ex Theologia Morali.

H*Onora Patrem tuum, et Matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Exod.c.20.v. 12. Nullum equidem illustrius filialis erga Parentes observantiæ specimen exhibetur, quàm ipsorum consensum in filiorum-familias matrimoniis expectare; hunc Ecclesiæ Patres, hunc Canones, antiquaque Ecclesiæ Disciplina, nedum desiderarunt, sed & sedulò exegere: nec mirum, cum in ipso, & Parentum Potestas, & Religio, filiorum pudor, & reverentia, matrimonii fides, & honestas, institutæque Reipublicæ communis ratio facilè resplendeat. Meritò igitur civiles Leges, sed præcipuè Hispaniæ, Galliæ, & Lusitaniæ petulantem filiorum temeritatem cohibuere, contractusque illicitos Reipublicæ commune dedecus inferentes pœnis rationabilibus mulctavere. Procul absit Novatorum insania, dum matrimonia absque Paterno consensu irrita declarat. Pro rei veritate tenendum est: *Matrimonia inita à filiis-familias invitis, aut inconsultis Parentibus esse, ac fuisse semper illicita, ac propterea rationabiliter provisum, ut contumaces priventur jure Regio Paterno honore, & hæreditate.*

QUAR-

QUARTUM ASSERTUM.

Ex Historia Sacra.

M*Athusael genuit Lamech, qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, et nomen alteri Sella.* Gen. c. 4. v. 18. & 19. Polygamiam Lamech, velut maximum crimen respexere Patres, neque enim ulla ratione ipsius adulterium, & flagitium (sic eum appellat Nicolaus Primus epist. ad Lotharium Francorum Regem) à culpa potest expiari, si utrumque jus, cum naturale, tum Divinum spectetur: *Quamobrem relinquet Homo Patrem, et Matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Gen. c. 2. v. 24. Undè, sivè institutione matrimonii, sivè jure contractus in æqualitate, & maxima societate constituti, damnandus merito, qui primus omnium plures uxores duxisse legitur. Quia tamen hujus Polygamia, etsi omni jure proscripta, Lutheri, ejusque Discipulorum ausu temerario, tamquàm licita eruperit, exemplis Patriarcharum, qui post diluvium vixere, nos ut impios, & impudentissimos homines dejiciamus: *Lamechi Polygamiam tantorum Patrum exemplis à crimine vindicari non posse, nec istorum Polygamiam illius exemplo damnari propugnamus.*

QUIN-

QUINTUM ASSERTUM.
Ex Historia Ecclesiastica.

ROmanæ Sedis singulare donum, vel ipsis etiam Christi Domini verbis ad Simonem consecratum Luc.c.22.v.32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquandò conversus confirma Fratres tuos*, insanæ novitatis amatores circunvenientes, nullum non moverunt lapidem, ut primam, & incorruptam Sedem turpi hæreseos labe fœdarent, vel saltem, ut Hæreticorum fautores ipsius Episcopos proderent: Nec vitæ probitas, morum innocentia, laborèsvè indeffesi quidquam profuere, nè in Pastores vigilantissimos linguas acuerent mordacissimas. Alios inter Zephyrinus Romanus Pontifex, tamquam deliria Montani, garrulasquè Priscillæ, & Maximillæ prophetias approbans, exindeque pacem Ecclesiis Asiæ, & Phrygiæ inferens, apud ipsos audit: Nec hæsit dubius Rhenanus, ut assereret: in annotationibus ad Tertulianum: *Episcopus Romanus montanizat.* Ut ab iniqua sententia Pontificem Maximum vindicemus, *ipsum nec Montani errores propugnasse, nec ipsi ullatenus favisse, defendimus.*

****

SEX-

SEXTUM ASSERTUM.

Ex Historia naturali.

C*Um tulerit Dominus Deus hominem, et posuerit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum.* Gen. c. 2. v. 15. Sancti Ecclesiæ Patres, Sacrarumque litterarum Interpretes pro investigando hujus loci deliciarum situ magnopere insudarunt; pene tamen incassum dixeris: Aug. enim teste, lib. 8. de Gen. ad lit. c. 7. *Locus ipse Paradisi à cognitione hominum est remotissimus*; undè res adhuc obscura est, & sub lite pendet. Rabbini, ut plurimum, eum suprà nubes fingunt, Orbem Lunæ ferè tangentem; Barcepha Syrus ultra Occeanum magno à nostro continenti dissitum intervallo; nec desunt, qui in India, qui in Syria, qui in Babylonia, qui in vertice Ararat; sed quid plura? Cum tot ferè sint capita, quot sententiæ: Hinc, & indè variis, tum Veterum, cum Recentiorum emergentibus placitis: *Paradisum terrestrem situm fuisse, in confinibus Mesopotamiæ, Armeniæ, Arabiæque Orientalis, ubi Tigris, et Euphrates alveos conjungunt, ut probabiliorem sententiam sustinemus.*

Pro his tuendis aderit in hac Spiritus Sancti Hispalensi Domo C. R. M. P. Antonius Martin, *sub præsidio* P. FRANCISCI PORRO, *Lectoris Jubilati, & in D. Gregorii Bætici Granatensi Domo Præpositi. Die* 15. *mensis Septembris.* Vesperè. *Anno Dni.* 1780.